



1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.



12416

I. N. D. N. I.

2.

DISPUTATIO INAUGURALIS,
DE
EXPECTATIVA,

Quam
PRÆSIDE,
DEO TER OPT. MAX.

1659, 9.

Ex Decreto & Autoritate

Magnifici, Nobilissimi & Amplissimi Icto-
rum Ordinis, in Alma hac Argentoratensium
Universitate

Pro

Summis in utroque Jure honoribus ac Privilegiis
Doctoralibus, ritè, ac solenniter consequendis, solenni
Eruditorum ac Benevolorum censuræ
subjicit

JOHANNES FRIDERICUS *Hanswacker*
Masfeldiâ - Hennebergicus.

In Auditorio Maiori.

Die Menſe

Loco horisque consuetis.

☉ (o) ☉

ARGENTORATI,
Typis Hæred. SEBASTIAN-NICOLAI HETSTEDT,

ANNO:

DoMIne ſerVa plos, In paCe LiBera.



EXPECIATIVA

DEO THEOPH. MAX.

JOHANNES FRIDERICUS SCHMIDT

ANNO 1711

DEMISSIO





VIRIS

*Generoso, Magnificis, Nobilissimis, Consul-
tissimis atque Excellentis-
simis,*

SERENISSIMORUM
ELECTORIS AC RELIQVO-
RUM SAXONIÆ DUCUM IN PRIN-
CIPATU SAXO - HENNE-
BERGICO

LOCUM-TENENTI,
CANCELLARIO,
VICE-CANCELLARIO,
CONSILIARIIS,
PRÆFACTO ÆRARII,

*Eminentissimo, Gravissimis, Lectissimis Do-
minis ac Mecœnatibus meis, omni observantiæ
cultu perpetuò afficiendis.*

Item q̄
ILLUSTRIS CONSISTORII,
quod Meinungæ c̄st,
PRÆSIDII,
CÆTERISQVE CONSILIARIIS ECCLE-
SIASTICIS,
Gravissimo, Excellentissimis ac plurimum
Reverendis, Parenti ac Patronis suis
ætatem venerandis.

UT ET
Strenuissimo, Nobilissimo q̄ ejusdem
Principatus

ORDINI EQVESTRI:


NEC NON

Amplissimis, Prudentissimis q̄ ejusdem
Principatus

STATIBUS Provincialibus,

DOMINIS ac PATRONIS meis
omni obsequio & observantiâ
demerendis.





Quod Vobis, *Patres Patria con-*
scripti, omnique observantia cul-
tu etatem venerandi, Disputa-
tionem meam inauguralem
pro more recepto inscribere, & splendorem
à luminibus longè lateque radios diffun-
dentibus mutuare non extimuerim, facile
reprehensionem incurrere, inqué crimen
impudentiæ impingere possem, nisi insi-
gnis & omnium ore celebrata comitas, quæ
in censu laudum vestrarum palmam obti-
net, hanc meam audentiam boni consultu-
ra, eamque insita natalis soli genio pietas
imperatura videretur. Reperire enim haud
potui, quâ ratione aliâ, non retaliarem
quidem, id enim longè supra vires meas est,
sed agnoscere me saltem testarer beneficia,
quibus me ab incunabilis obstrictum a-
gnosco, maxima. Quare tantum Vestræ co-
mitati ac benevolentia, quâ me, omnesque
Vestros clientes prosequimini, imputabitis,
quod ego, qui me servitii Vobis, *Dominis*
meis,

meis, dudum constitui reum, hunc ingenii
mei qualemcunque partum offeram, non
quidem ut munus, quod ab obnoxio nul-
lum est, sed tanquam partem peculii jure
dominii debitam. In præcipua verò felici-
tatis meæ parte reputabo, si sincera mea vo-
luntas & prompta serviendi studia fronte se-
renâ accipiantur, dextroque oculo respici-
antur. Ne autem prolixiori sermone pec-
cem in commoda Reipublicæ, cui omnes
curæ cogitationesque Vestræ devoentur,
simplici voto concludo, Deumque Ter O-
ptimum Maximum precibus veneror sup-
plicibus, ut Vos *dulcissima Patriæ Patres*
honoratissimos, publico omnium, meoq;
privo bono sospites atque florentes diutif-
simè servare velit. Valete ac ulteriori patro-
cinio dignamini

Vestr:

Nobiliss: Magnific: Excell.
Strenuiss: Nobilit: ac pluri-
imum Reverend: Amplit:

additissimum clientem

Johannem Fridericum Hanwackern.





I. N. D. N. I.

co

PRÆLOQVIVM.

Postquam ante omnia ad immortalitatis respexi præsidium, & summo Numine invocato, Deum auctorem & totius operis præfulem fieri optavi, primæ curæ pars, & in cœtera subsidium erit, tractationis meæ ordinem per prima lineamenta designare. Idque ex imitatione pictorum, qui picturam aliquam tabulæ inducturi, prius in illa primas lineas penicillo ducunt & adumbrant, quam vivis coloribus illustrent.

Quoniam autem secundum Aristotelis monitū, *singula sunt ita tractanda, ut natura eorum postulat. Quo circa optimā ratione viam, quam præsertim Clarissimorum virorum *signatam atque impressam vestigiis video, dimissis vulgariū confusionū semitis, firmo gradu decurrā, ita pro viribus dissertationis meæ thema consideraturus, ut præmissis summam DEFINITIONIBUS ac DIVISIONIBUS, CAUSAS deinde, unā cum EFFECTIBUS, ac tandem CONTRARIA & AFFINIA breviter exponam.

Quæ tractatio, ut rectè ac ordine succedat, industriæ pretium erit, assertiones meas certis rationibus confirmare, ac ut constet, illas non esse fictitias, neve à regulis Civilis sapientiæ, quippe in qua erubescimus,

A 2

sine

* 1. Ethic. 7. in fin.

* Consul. Dn. D. Iustus Meierus in præfat. ad C.

I. A. & Magnif. Dn. D. Taber in præfat. posteriori C. I. A. editioni præfixa. Et in Jurispr. Method. part. 1.

end. 5.



arg. l. 19.
C. de collat.
Nov. 18.
c. 1.

de qua
vid. Brif.
form. in Lab.
8.

sine legibus * loqui, recedere videar, autoritates quoque sic censui adducendas, ^{ut} nec copia confundat textum, nec inopia minuat fidem. Faciat Deus, cui, ut omnes secundos in studiis meis progressus unice acceptos fero, ita & totam vitam, labores & actiones meas in posterum precibus commendo ardentissimis, ut salebris submotis, sine offendiculo viam hanc decurrere valeam, omniaque cedant ex antiqua votorum formula FELICITER !

Thesis I.

I. Defini-
tio.
II. Nomi-
nis.

Quamvis autem in denominationis ratione eruenda operose desudare non sit animus, cum tamen illa ad cognoscendam rei alicujus naturam non parum conferre possit, arg. §. 29. *Inst. de Legat. l. 7. §. 2. ff. de supellect. leg. operæ pretium puto, si vestigiis subtilissimi Labeonis insistentis* (de quo vid. Gellius *lib. 13. Noct. Attic. c. 10.*) eam in tractationis meæ vestibulo, sicco pede non præteream. *Conf. Magnif. Dn. D. Thor in Jurisprud. Elem. part. 3. sect. 4. th. 2. ex d.* Inscríbítur autem dissertatio mea vocabulo EXPECTATIVÆ, quod quidem in jure nostro Feudali nuspiam legitur, à pluribus tamen Interpretibus usurpatur, eoque nihil aliud indigitatur, quam quod in *l. F. 27. vers. si quis. 2. F. 26. §. 2. l. F. 3. & 2. F. 35. vers. Vbi* pluribus verbis circumscríbítur. Vix autem melior denominandi ratio reddi potest, quam quod ille, cui feudum sub conditione promissum, conditionis existentiam expectare debeat.

I. I. Liceat quoque in transitu notare, quibus appellationibus thema nostrum aliàs designari consuevit. Dicitur enim quoque Investitura de feudo, quod aperiendum speratur. *2. F. 26. §. Moribus. 2.* Investitura sub tempore vel conditione, qua feudum aperiatur. *2. F. 35. vers. Vbi.* Investitura de caducitate successionis. *Bald. in d. l. F. 27. vers. Si quis.* Matth. de Afflict. *tit. Qui succ. feud. dar. ten.* Superinfeudatio, eò quod dominus priori Vasallo quasi addat alterum, & de eodem investiat feudo. Investitura in casum

sum mortis. Berlich. *part. 2. concl. 54. n. 2.* Germanicè dicitur: *Ein Beding/ Ein Expectans/ Lehn- Expectans/ Angefäll/ Anwartschafft/ Anwartsung eines noch unverledigten Lehns/ Gnaden Lehn/ Außgebeten Lehn.* Hartm. Pistor. *lib. 2. Qu. 25.* Gail. *lib. 2. obs. 155. n. 2.* vid. Besold. *in Thesaur. Practic. voc. Bedinge.* Magnif. Dn. D. Tabor *in Indice Feudali MS. voce Investitura.*

III. Cognitã itaque nominis significatione, jam videndum II. Reii
quid in ipsis rerum obtineat argumentis. *arg. §. 3. Inst. P^{ro}em.* In omni enim tractatu præ verbis potior rerum venit habenda ratio. *C. Humana aures. 11. c. 22. qu. 5.* & per similes textus, quos allegat ad hoc Gail. *1. Observ. 150. num. 6.* Quoniam itaque omnis, quæ de re aliqua suscipitur, disputatio à definitione debet incipere, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputatur. *Cic. 1. Offic. & 2. de finib;* ideo definitionem, quæ apud Interpretes varios variè conficitur, vid. Herm. Vultej. *de Feud. lib. 1. cap. 11.* Gothofred. Anton. *in Disput. Feud. 4. thes. 5.* Magnif. Dn. D. Ludvv. *in Syntag. Feud. c. 8.* Dn. D. Struve *Antecessor Ienensis celeberrimus; Doctor meus nunquam sine laudis encomio nominandus. in Syntag. Iur. Feud. Exerc. 7. th. 4. præmittere volui hoc modo:* Expectativa est promissio, qua Dominus alteri jus succedendi in feudum, quod à Vasallo quodam adhuc possidetur, sub conditione si ad ipsum redierit, concedit.

IV. Constat autem hæc DEFINITIO GENERE & DIFFERENTIA SPECIFICA. GENUS diu me torfit: Quod animadverterim Doctores in thesi præcedenti laudatos in constituendo genere admodum variare. Mihi verò non incommodum videbatur PROMISSIONIS vocabulum, quippe quod EXPECTATIVÆ hujus naturam, quæ infra in ipsa causarum serie uberius declaranda veniet, optimè exprimere valeat. DIFFERENTIA Specifica à Causis desumpta est.

2. Divisio.

V. Confirmatam Definitionem sequitur DIVISIO, quæ desumitur vel à CAUSA EFFICIENTE; vel à FORMA. Ratione CAUSÆ EFFICIENTIS Expectativa distinguitur in illam, quæ facta est vel actu inter vivos, pacto scilicet, aut contractu quodam; vel ultimã voluntate, *conf. Herm. Vultej. de Feud. lib. 1. c. 7. n. 13. & seqq. Schrad. de Feud. p. 5. c. 1. Rosenthal. c. 6. concl. 5.* Dn. Struve *in Exerc. Feud.*

A 3

7. th. 3.



7. *th. 3.* Ratione FORMÆ alia est qua certum feudum & certus Vasallus exprimitur. Dicitur in *Lehn-Recht. c. 7.* Ein benand geding / Anwartsung an eines benanten Mannes gut. *c. 55.* Alia verò est, qua in genere inter plura feuda, quæ Dominus habet, alicui promittitur feudum, quod primum ad Dominum redierit. Et vocatur *d. c. 7.* Ein Irlehn / ein irre oder ungewis gedinge. & *c. 55.* Anwartsung an eines vnbenanten Mannes gut.

3. *Causæ.*

VI. Hisce ita præmissis, CAUSÆ jam veniant pertractandæ. Siquidem solida scientia non nisi ex causarum cognitione habetur. *Conf. Dn. D. Tabor in Partit. Elem. part. 1. ex d. 5.* Scheibl. *in tr. suo logic. in Topic. c. 3.* Sunt verò CAUSÆ vel EXTERNÆ, ut CAUSA EFFICIENS & FINIS; vel INTERNÆ, ut MATERIA & FORMA.

1. *Efficiens. Remota.*

VII. Causa EFFICIENS hujus Expectativæ REMOTA est jus & quidem Consuetudines Feudales Longobardicæ, de quibus vid. *Vultej. de Feud. lib. 1. c. 1. n. 2.* Rosenthal *in Synops. feud. cap. 1. concl. 7.* Rittershus. *in Partit. Feudal. lib. 1. cap. 1.* Dn. D. Struve *in Syntagm. Feud. Exerc. 1. th. 5. & 7.* Giphon. *in Antinom. iur. Feud. disp. 2.* Hunnius *in tract. Feud. cap. 1. 2. & 3.* Reinking. *de Regim. Secul. & Eccles. lib. 1. clas. 4. c. 15. n. 56.*

Propinqua.

VIII. Causa PROPINQUA est voluntas Domini, qui vel pacto aut contractu quodam; vel ultimâ voluntate feudum adhuc possessum alicui promittit. Promittere verò hac ratione quilibet potest, modo sit feudi illius Dominus; vel jura Domini in eo exerceat. *arg. 2. F. 3. conf. Hartm. Vultej. de Feud. lib. 1. cap. 3.* Schrad. *tract. de Feud. p. 4. c. 1.* Rosenthal *in Synops. feud. cap. 3. concl. 1.* Hunnius *in Tract. Feud. cap. 7.*

IX. Possunt itaque Expectativam promittere Domini, sive Masculi, sive Fœminæ sint. Sexus enim differentiam in concessione feudi non attendi patet ex *2. F. 2. §. 1. vers. Fœminam.* Remitto autem brevitatis gratiâ ad Dd. qui plures rationes adferunt ac eleganter dubia solvunt. Consulatur itaque Herm. *Vultej. de feud. lib. 1. c. 3.* Anton. *Hering. in tract. de fideiuss. c. 7. n. 507.* Schrad. *in Tract. Feud. p. 4. c. 1.* Rosenthal *in Synops. Feud. c. 3. concl. 3.* Giphon. *in Antinom. iur. Feud. disp. 3.* Magnif. Dn. D. Capz. *in p. 2. C. 15. de f. 9.* Hunnius *in Tract. Feud. c. 8.* Observasse quoque hîc proderit, quod aliquando hoc exercitium domini quibusdam personis, ob earû condi-

7.
conditionem, interdicitur, vel saltem certis limitibus circumscri-
batur. e g. Impuberes, minores, furiosi, mente capti, prodigi, mu-
ti & surdi, ne quidem tutoris vel curatoris autoritate & consensu
interveniente, nec tutor vel curator nomine istorū feudū possunt
promittere, nisi causā cognitā decretum Magistratus interponatur.
2. F. 3. pr. iunct. i. i. ff. de reb. eor. quae sub tutel. vel cur. sunt. Confer.
Schrad. in tract. feud. p. 4. c. 1. n. ult. & c. 2 n. 72. & seq. Rosenth. in
Synopsis. Feud. cap. 3. concl. 16. n. 3. Hunnius in tract. feud. c. 7. Vultej.
de feud. lib. 1. c. 3. Dn. Struve in Syntagm. Feud. Exerc. 5. th. 4. ubi ad
objectiones eleganter respondet, omnemque difficultatem felici-
ter removet.

X. Dixi in praecedenti thesi, illos quoque expectativam
concedere posse, qui jura Domini in feudis alienis exercent. Hinc
Imperator cum consensu Statuū Imperii, in bonis & terris ad im-
perium immediatè pertinentibus feudum constituere. vid. Magnif.
Dn. D. Tabor in Notis MS. ad Daniel. Ottom. Dissertat. de iure publ.
cap. XI. imò & in illis feudis expectativam concedere potest. conf.
Herm. Vultej. de Feud. c. 3. n. 13. Schrad. in Tract. Feud. p. 4. c. 1. n. 7.
Berlich. in part. 2. concl. 54. n. 9. Giphanius in Tract. Feud. Disp. 3. n.
11. Hunnius in Tract. Feud. cap. 7.

XI. Si verò quis, praeter omnem spem, adhuc dubitaret,
illum remitto ad Instrumentum Pacis Caesareo Suecicum: Artic.
10. §. 4. ubi ad oculos patebit, Imperatorem cum consensu Electo-
rum, Principum ac Statuum Imperii in generali Pacis publicae cō-
positione, constituisse; ut deficiente lineā masculinā Domus Ele-
ctoralis Brandenburgicae, ulterior Pomerania tota cum citeriori,
vulgò *BorPomern* / totoque Episcopatu & integro Capitulo Ca-
minensi, adeoque omnibus antecessorum, juribus & expectantiis
consolidatur, ad solos Reges Regūque Sueciae perpetuò perti-
nerent, spe interim successionis & investiturā simultaneā gavisu-
ros. Et in Artic. 11. §. 6. conceditur Serenissimo Electori Bran-
deburgico expectantia in Archiepiscopatum Magdenburgen-
sem.

XII Finis, ut brevi verborum compendio multa compre-
hendam, respectu Domini promittentis est, ut is, cui feudum hoc
modo promissum, existente conditione, & feudo acquisito, ad o-
mnia.

omnia jura, quæ Domino feudi debentur, sit obstrictus. Quænam verò illa jura sint, pluribus docent Schrader. *in tract. feud. p. 6. c. 6.* Rosenthal. *in Synops. Feud. c. 8. concl. 1. & seqq.* Dn. Struve. *per tot. Exerc. Feud. 11.* Respectu verò illius, cui promissio facta, finis erit, ut ipsi existente conditione feudi illius competat ususfructus feudalis, sive dominium utile. 2. F. 8. *vers. Rei.* Consistit autem illud dominium utile in jure, quamlibet commoditatem ac utilitatem ex re feudali obvenientem percipiendi. vid. Herm. Vultej. *de Feud. lib. 1. c. 10. n. 28.* Schrad. *tract. Feud. p. 6. c. 7.* Rosenthal. *c. 8. concl. 1.* Dn. Struve. *in Syntagm. Feud. Exerc. 12. per tot.*

Materia.

Subjektū.

XIII. Venio ad MATERIAM, quæ est vel IN QUA; vel CIRCA QUAM. MATERIAM IN QUA, sive SUBIECTUM constituunt illi, qui Expectativam hanc accipere & acquirere possunt, sunt autem tales omnes, quibus non est interdictum rerum commercium.

XIV. Non injuria vero dubitaverit quis, an fœminæ quoque Expectativa promitti possit? Desinet autem mirari, si audiverit, quod ad feuda, nullâ habitâ ratione sexus, masculi & fœminæ admittantur. Evidentiæ gratiâ evolvatur 2. F. 3. *ibi: Personam investituram accipientis non distinguimus.* Nec assertioni meæ refragatur, quod ii tantum feudorum capaces videantur, qui ad militiam idonei, Dominumque contra omne periculum defendere possint: Fœminæ autem bellicis muneribus explendis non sunt aptæ, nec sine pudore alium defendere possunt. *arg. 2. Inst. de Iniur. & l. 18. C. de Procurat. conf. Bald. in l. quotiens. 12. n. 7. C. de suis & legitim. & Glos. in 1. F. 1. vers. 3. ubi plures indicantur rationes.*

XV. Id enim quoad primævam feudorum originem libenter concedo; Quoniam verò successu temporis etiam fœminis feuda sunt concessa, ubi patet *ex 1. F. 8. 2. F. 3.* nihil impedire videtur, quo minus etiam ejusmodi expectativa concedi possit. Præsumitur enim Dominus fœminam de feudo investiens, tacitè admisisse, ut servitia, quæ ipsa expedire nequit, per substitutum præstet. *Confer. Herm. Vultej. de Feud. lib. 1. c. 4. n. 3. & seqq. & c. 8. n. 83.* Rittershus. *in Partit. Feud. lib. 1. c. 6. th. 9.* Hunnius *in tract. Feud. c. 8.* Giphani. *in Antinom. iur. Feud. Disp. 3. n. 27.* Dn. Struve *in Syntag. Feud. Exerc. 4. th. 12. & in Exerc. 8. th. 12.*

XVI. Nihil quoque impedit, quo minus impuberi quoque & mi-

& minori expectativa rectè promittatur. Ita tamen, ut si infans sit, non nisi tutoris autoritate, existente conditione feudum accipere possit. *arg. l. 32. §. 2. ff. de acq. vel amit. poss.* Herm. Vultej. *de feud. lib. 1. cap. 4. n. 6. & seqq.* Si verò infantia vel pubertati proximus sit, potest quidem ipse, sine tutoris autoritate acquirere feudum, sed ut etiã Domino feudi obligetur ad servitia, tutoris autoritate opus est. Hi enim alterũ sibi obligare, etiam sine tutoris autoritate possunt, se verò non, nisi autoritate & consensu ^{tutoris} interveniente. §. 9. *Inst. de inutil. stipulat. iunct. princ. Inst. de autorit. tutor. conf.* Dn. Struve *in Syntag. Iurisprud. Exerc. 6. th. 39.* Ex iisdem verò principiis fluit, quod Dominus impuberi, furioso, prodigo, muto, surdo & cæco feudum concedens, propter eorum conditionem ac inhabilitatem servitia remisisse videatur, *Conf. Rosenthal in Synops. Feud. c. 3. concl. 8. Hunnius in tract. Feud. c. 8.*

XVII. Quod spectat OBIECTUM, seu MATERIAM CIRCA QUAM, illa est FEUDUM VACATURUM, vel quod aperiendum speratur. 2. F. 26. §. *Moribus.* Quando scil. in re, quæ jam est feudalis & à Vasallo quodam possidetur, alicui promittitur feudum.

Obiectũ.

XVIII. Sequitur nunc ordine FORMA, quæ in eo consistit, ut fiat sub conditione, si feudum ad Dominum redierit. d. 2. F. 26. §. *Moribus.* & 2. F. 35 *vers. ubi.* Et quidem vel exprimitur certum feudum & certus Vasallus; vel in genere promittitur feudum, quod primum ad Dominum revertatur. Observare autem meretur, ipsam conditionem, vel in genere concipi v. g. Si feudum ad dominum revertatur, quovis scil. modo; vel in specie; si Vasallus sine heredibus feudalibus decesserit.

Forma.

XIX. Tantum verò abest, ut Vasalli possessoris consensus exigatur, ut potius, eo licet ignorante aut invito, Dominus feudi sub exposita conditione feudum alteri rectè promittat. *vid. 1. F. 27. 2. F. 26. §. Moribus. in fin. 2. F. 35. ibi: etiam sine voluntate Vasalli facta.* *conf. Gail. 2. Obs. 155. Hart. Pistor. lib. 2. quest. 20. n. 1. Magnif. Dn. D. Carpz. part. 2. Const. 45. def. 1. & in Synops. Iur. Feud. Disp. 6. th. 37. Magnif. Dn. D. Ludvvel. in Synops. Iur. Feud. cap. 8. Dn. D. Struve in Syntagm. Iur. Feud. Exerc. 7. th. 6.*

XX. Dispicere quoque hîc convenit, an solennia, quæ ad investituram abusivam requiruntur, de quibus *vid. Bocerius in tr.*

B

de in-

de invest. c. 4. & Dn. D. Struve. in Syntagm. Jur. Feud. Exerc. 8. th. 5. hinc quoque adhibenda sint? Docet verò Hart. Pistor. lib. 1. qu. 30. n. 6. quod non exigantur. Nec presentia & testimonio parium curia opus esse, sed sufficere instrumentum vel literas (Angefals-
Beschreibung) manu sigillove Domini corroboratas, testatur Idem d. l. n. 4. & seqq. Rosenthal. in Synops. Feud. cap. 6. concl. 6. n. 4. Berlich. part. 2. concl. 54. n. 54. ubi simul tradit, non requiri, ut, si fortè Dominus feudi moriatur, vel is, qui ejusmodi expectativam impetravit decedat, renovatio investituræ petatur, sed sufficere, si illa, demum existente conditione, petatur. Conf. Magnif. Dn. D. Carpz. in part. 2. Const. 45. def. 1. n. 4. & seqq. & def. 10. Magnif. Dn. D. Tabor. in Not. MS. ad Disput. Gottofred Anton. 4. th. 5. lit. b.

4. Effectus

XXI. Iam considerandus venit Expectativæ nostræ Effectus, Oritur autem ex hac promissione ac investitura conditionali jus ad Rem, quod illi, cui ejusmodi promissio facta, actionem parit personalem, quæ secundum veritatem conventionum, quibus feudum sub conditione caducitatis est promissum, variat.

XXII. Memorabilis autem hinc occurrit controversia: An Dominus tradendi facultatem habens, præcisè feudum hoc modo promissum tradere teneatur? Hinc iterum non una eademque Dd. est sententia. Siquidem affirmativam simpliciter defendit Hart. Pistor. lib. 2. qu. 25. n. 22. Econtra verò negativam propugnant quoque magni nominis Icti, quos hinc longâ serie adducere supersedeo. Sufficiat denominasse saltem Berlich. Part. 2. Concl. 54. n. 59. & Magnif. Dn. D. Carpzov. part. 2. Const. 45. def. 2. Statuentes, Dominum præstando interesse liberari. Quis itaque non videt, quam difficile mihi sit, in hac controversia, de qua Dd. tot ac tantos disputationum fluctus concitare solent, certi aliquid determinare. Mihi tamen in tanta rerum difficultate placuit simplicior sententia Domini D. Struveni Doctoris mei omni honoris cultu ætatem venerandi, qui in sæpius allegata Exerc. Feud. 7. th. 7. me docuit, hinc attendendam esse naturam Conventionis, quâ feudum promittitur: Ac si Dominus per donationem feudum promiserit, illud præcisè tradere teneri, §. 2. Inst. de donat. l. 35. §. ult. C. de donat. Nov. 162. c. 1. Similiter obligatur, si emptio venditio intercesserit. §. 1. Inst. de emption. vendit. d. §. 2. de donat. l. 50. de act. emt.

emt l.6. C. de rescind. vendit. Confer. eiusdem Syntagm. Iurisprudentia
Exerc.6. th.46. & Exerc.23. th.108.

XXIII. Exinde sequitur quoque, quod Dominus pendente conditione, Expectativam hanc revocare nequeat, sed promissionem suam omnino implere teneatur. *arg. l.5. C. de O. & A. l.58. ff. de pact. Conf. Hartm. Pistor. d. lib.2. qu. 25. n.21. Schrad. de feud. part.3. c.2. n.18. Magnif. Dn. D. Carpz. in d. part.2. Const.55. def. 2. n. 1. ubi in fin. hanc sententiam praeiudicio quodam confirmat.*

XXIV. Controvertitur autem an praeter persecutionem judicalem, etiam feudum, existente conditione, propria autoritate apprehendere liceat? Affirmativam cum communi Feudistarum schola defendunt Hartm. Pistor. d. lib.2. qu. 5. n.26. Schrader. de Feud. part.5. cap.2. n.16. Berlich. d. part.2. concl.54. n.62. Magnif. Dn. D. Carpz. part.2. Const.45. def.2. n.5. & in Synops. Feud. disp.6. th.5. Confirmat eam quoque ratio, quod Dominus succedendi jus tribuens, tacite etiam consensisse videatur, ut possessionem feudi propria autoritate apprehendere liceat. Nec obstabit l.3. C. de pignor. ubi ne quidem ex pacto & conventionem expressa Creditori permittitur pignoris possessionem propria autoritate occupare. Nam Vasallus in feudo longe plus juris habet, quam Creditor in pignore & hypotheca. Vasallus enim est ipse Dominus. *vid. 2. F. 8. & c.23. in fin. Creditor vero non est dominus.*

XXV. Ne vero progressibus meis impedimentum objiciatur, hic ante omnia resolvenda venit quaestio, num ejusmodi promissio valeat? Sed non est nodus in scirpo quaerendus, nec fluctus sciendi veniunt in simpulo. Huic enim principali quaestioni illustrandae facem praferam, ubi distinxero, num illa sit pure facta, quo in casu nunquam valebit 2. F.35. 1. F.9. Feudum enim quod Vasallus habet, non potest ipsi auferri, & alteri concedi; num vero sub conditione aliqua, quam in praecedentibus tanquam necessarium requisitum subinde desideravi, facta sit v. gr. Si Dominus dicat: Ego feudum, quod a Sempronio Vasallo meo possidetur, tibi promitto, si ad me revertatur; vel ut post mortem Sempronii habeas, aut simili modo. Et tum eam valere, tam certum est, quam est indubium, ter tria esse novem. Ut autem ad assertionis meae confirmationem accedam, possum ejus suffragatores adducere

Hartm. Pistor. *d. lib. 2. qu. 25. n. 14.* Gail. *2. obs. 155.* Rosenthal. *in Synops. feud. cap. 4. concl. 6.* Vultej. *de feud. lib. 1. c. 7. n. 64.* Fachin. *7. Con- 28.* Berlich. *part. 2. concl. 54. n. 5. & seqq.* Magnif. Dn. D. Carpz. *part. 2. Const. 45. def. 1. n. 7. & 8.* Dn. Ludvv. *in Synops. Feud. c. 9.* Dn. Struve *in Syntagm. Iur. Feud. d. Exerc. 7. th. 5.* Iucundum autem erit hîc observare, quod in dijudicatione, num ejusmodi promissio purè facta sit, nec ne, non tam verba, quàm mentem inspicere debeamus. Contingere enim potest, ut verba quidem purè concepta videantur, cum tamen (uti ex mente promittentis Domini constare poterit) illa in futurum casum sint directa, & tunc sine controversia valebit, uti fuerit dictum.

XXVI. Proximum nunc est videre, quid obtineat, si promissio purè facta sit, ac possessor sine liberis decesserit? Respondeo, nec illa hoc in casu robur accipere potest. Quod enim initio non valet, illud tractu temporis non potest convalescere. *l. 29. ff. de R. I.* Id quod tam manifestam habet evidentiam, ut abuti otio videri possim, si longiori sermone instituam probatum ire. *Con- sul. Berlich. d. part. 2. Const. 54. n. 45.*

XXVII. Jam ex inevitabili quadam necessitate, illud accuratiori mentis indagine per vestigare cogor: An Expectativa sub conditione, quæ in casum mortis certi Vasalli possessoris concipitur, valeat? Hîc autem, uti naturalis hominum ad dissentendum facilitas est. *l. 17. §. 6. pr. ff. de recept. qui arbitr. resep. animadvertere licet,* adeo varias extare Dd. opiniones, ut citius horologia inter se convenire posse, quam Interpretum hac in re sententiæ concordare videantur. Negativam enim jam olim Placentini fovebant. *1. F. 27. & 2. F. 26. §. moribus. 2.* Defendunt illam quoque alii, quos adducit Herm. Vultej. *de Feud. lib. 1. c. 7. n. 65.* Magnif. Dn. D. Carpz. *in Synops. Iur. Feud. Disp. 6. th. 36.* & Dn. D. Struve *in Syntagm. Iur. Feud. Exerc. 7. th. 5.* Fundamentum, quo negativæ sententiæ defensores nituntur, forsan erit: Quod promissio hæc votum alienæ mortis captandæ inducat, Ejusmodi autem pactiones, utpote odiosæ & planè tristissimi & periculosissimi eventus, ac contra bonos mores, reprobantur jure civili. *l. 83. §. 5. ff. de V. O. l. 71. §. 1. ff. de condit. & demonstr. l. fin. C. de pact.* Cui ad stipulatur & Ius Canonicum *in C. 2. X. de concess. prebend. C. 2. 3. eod. in 6to. ubi concessio.*

cessionis præbendarum hunc in modum factæ, rejiciuntur. Affirmativæ verò patrociniabitur Mediolanensium & Cremonensium autoritas. *l. F. 27. §. moribus.*

XXVIII. In his autem opinionum fluctibus, facili negotio emergendum puto, si rationes, quæ negativam suadere videntur, accuratâ ponderamus trutinâ. Quis enim, nisi talpâ cæcior velit æstimari, non videt, Expectativam in casum mortis concessam, per se non præbere occasionem captandæ mortis, sed per accidens tantum id fieri? Exinde igitur sequitur, prædictam rationem tanti ponderis ac momenti non esse, ut Expectativam illam illicitam evincere valeat. Si enim ex eo, quod sit per accidens, res ipsa tollenda foret, dudum debuisset tolli scriptura, unde hæreseos ansam desumunt Hæretici; abrogandum fuisset & matrimonium, quod causa per accidens adulterii. Et quid non aliud? Multi enim ex rosa non mel cum apibus, sed venenum cum araneis sugunt, quod ipsi rosæ nequaquam est imputandum.

XXIX. Quis enim mihi, seposita juris Civilis autoritate, facilè probabit, nos jure naturæ prohiberi, in casum mortis alterius quid concedere. *Conf. Arnold. Vinnius in tract. de Pactis. c. 19. n. 3. & seqq.* Atque nisi vehementer fallor, prohibitio juris Civilis non simpliciter nudum mortis alienæ desiderium respicit. Id enim Legislatores avertere nequit. Et si hæc esset prohibendi ratio, indè colligere liceret, planè nullum pactum, ne quidem pactum sciente & permittente eo, de cujus hereditate agitur, initum valere. Quod tamen esset contra *d. l. fin. C. de pact.* Respicit autem jus Civile desiderium singulare alienæ mortis procurandæ, quod ex illius actus circumstantiis præsumitur. Ista verò præsumptio planè cessat in illis, quibus ejusmodi expectativa concessa. Firmiter enim illi sibi persuasum habent, fore, ut feudum in casum mortis Vasalli ipsis promissum, existente conditione, accepturi sint, quod non est in eo, qui successionis spem in hereditate habet. Possset enim is, de cujus hereditate paciscebatur, hereditatem facto suo paciscentibus auferre. Hoc igitur malum, ut paciscentes avertant, præsumuntur ejus vitæ insidiari. Accedit, quod ejusmodi hominibus, quibus Expectativa concessa, semper metuendum sit, ne, si Vasalli possidentis mortem accelerent, jure suo plenè privarentur.

B 3 XXX. Pro-



XXX. Prohibitionem verò juris Canonici quod attinet, illa nobis nullo modo obstabit. Iura enim melius præsumunt de paribus Curia, utpote viris cordatis, qui fratrum sibi loco invicem, & milites semper parati esse debent per *l. 19. C. de pact. & l. 11. C. de Transact.* Agitur verò in adducto textu de beneficiis Ecclesiasticis, quæ sanctè citra omnem occasionem mortis captandæ acquirenda. Quapropter post rationes ultrò citroque allatas, victoria certaminis meritò adscribitur affirmativæ, quam defendunt quoque Hartm. Pistor. *lib. 2. qu. 25. n. 5. usque ad 10. Gail. 2. obs. 15. n. 3. & 4. Fachin. 7. contr. 28. Berlich. part. 2. concl. 54. n. 5. & seqq.* Hunnius in *tract. suo feud. cap. 11.* Dn. D. Ludvv. in *Synops. Iur. Feud. c. 8.* Dn. D. Tabor in *Notis MS. quibus Disputationes Feudales Gothofredi Antonij in Collegio privato explicavit in Disp. 4. th. 5.* Dn. D. Struve in *Syntagm. Iur. Feud. Exerc. 7. th. 5.* ubi etiam docet, nihil obstare, quo minus liceat consuetudinibus feudalibus à positivi juris prohibitione recedere. Moribus quoque pacta de hereditate acquirenda, conservandave valere, testantur Dn. D. Hahn. *de Iur. Per. concl. 1. & seqq.* Dn. D. Struve in *Syntagm. Iurisprud. Exerc. 6. th. 49.* Dn. D. Schröter Prof. P. Ienensis celeberrimus, quondam Hospes, Patronus ac Præceptor meus omni honoris cultu venerandus in Collegio privato, in quo Codicis difficiliore leges nobis explicavit.

XXXI. Elegantissima quoque hîc se offert quæstio; An Expectativa in feudo, cujus Vasallus habet liberos, concessa, valida sit? Quod negat Glossa in *l. F. 27. §. Si quis.* quam ibid. Dd. communiter sequuntur, & hanc sententiam esse communem atque veram, dicit Fachinæus *7. contr. 28. conf.* Rosenthal. in *Synops. Iur. feud. c. 4. concl. 9. n. 4.* Gothofred. Anton. in *Disp. Feud. 4. th. 5. lit. C.*

XXXII. Ut igitur affirmativæ sententiæ veritas omnibus appareat, hîc accuratiori modo examinandæ veniunt rationes, quæ pro negativa militare videntur. Est verò earum potissima, quod spes de conditionis existentia proximè apparere debeat. Unde autem divinatoria ista ratio? Jure meritoque illius probationem peto. Qui verò illam ex adduct. *2. F. 26. §. moribus.* desumere conantur, fallunt & falluntur, committentes fallaciam malæ equivæciæ, verba enim *d. §. Moribus: Quod post mortem ipsius ad dominam reverti sperabatur.* non restrictionis ergò, sed exempli causa, & quod

& quod frequentius hoc fiat, adduntur. Quid enim si Vasallus feudi possessor sit adhuc in ætate minori constitutus, quem verosimile sit, diu supervicturum, & impetrans expectativam sit senex? Hic certè spes illa proximè non apparet. Neminem verò Interpretum habebō manifestè dissentientem, quod hoc in casu expectativa sit valida. Neq; probatio, quæ ex *l. F. 27.* petitur, ac eodè erroris fonte promanare videtur, pro adstruenda negativa quicquā efficere potest. Nullus enim verborum, quæ in dicto textu occurrunt, alius fingi debet sensus, quam, quod sub conditione investitus, succedat in feudo post mortem Vasalli possessoris, etiam si is non consenserit, dummodò ipse non haberet successores.

XXXIII. Firma igitur ac fixa nobis stat sententia, quod feudum alicui exposito modo, sive adsint liberi; sive non promitti possit. Generaliter enim in jure feudali cautum extat, ut vivente feudi possessore, alius investiri possit sub conditione. Liberos verò Vasallus habeat, nec ne, jure non distinguente, nec nos distinguere debemus. Confirmat quoque eam usus & experientia quotidiana, de qua testatur Hartm. Pistor. *in lib. 2. qu. 25. n. 19. conf.* Herm. Vultej. *de Feud. lib. 1. c. 7. n. 68.* Dn. D. Ludvv. *in Synops. Feud. c. 8.* Dn. D. Struve *in Syntagm. Jur. Feud. Exerc. 7. this.*

XXXIV. Ulterius quaritur, si pluribus expectativa concessa, quisnam horum, existente conditione, illam accipere debeat? Hic verò antequam respondeam, certè mihi constare debet; an aliquis eorum legitime nactus sit possessionem feudi; an verò nullus istorum possideat. Priori casu absque omni hæsitacione respondeo, quod ejusmodi possessor, omnibus aliis præferatur. *arg. l. 15. C. de Rei vindic.* Cum enim ille jus in re, scil. possessionem habeat, omninò potior erit illis, qui solum jus ad rem habent. *Conf. Hartm. Pistor. in lib. 2. qu. 29. n. 11. & seqq. Schrader. de Feud. part. 5. c. 2. n. 19. Magnif. Dn. D. Carpz. in part. 2. Const. 45. def. 4.* Si verò nullus istorum possideat, tunc præferendus videtur is, cui primò promissio facta. *arg. l. 26. ff. locat.* Quaris autem quid Iuris, si expectativa pluribus concedatur, & quidem ita, ut alicui generaliter promissio facta sit de feudo incerto, quod Domino aperietur; alteri verò feudum in specie promittatur? Dubium nullum apparet, quin, feudo illo certo & determinato aperto, is, cui illud in
specie



specie promissum, praferendus sit, licet alias tempore sit posterior. *arg. c. 14. 38. de preb. in 6. Conf. Hartm. Pistor. d. l. & Herm. Vultej. de feud. lib. 1. cap. 10. n. 11. Fachin. 7. contr. 32. & 33. Berlich. part. 2. concl. 54. n. 53. Dn. D. Ludvv. in Synops. Feud. c. 8. Dn. D. Struve in Syntagm. Iur. Feud. Exerc. 7. th. 7. ubi lectori communicabit limitationes.*

XXXV. Quando verò ille, cui feudum hac ratione promissum est, Vasallum possessorem morte antevertat, Dominus etiam heredibus ejus ad promissionem adimplendam erit obstructus. Id quod probatur expressis verbis. *1. F. 9. ibi. investito vel heredi eius. Conf. Matth. de Afflict. in dict. text. n. 27. & 28. Hartm. Pistor. lib. 2. qu. 25. n. 28. Vultej. de Feud. lib. 1. c. 7. n. 10. Gothofred. Anton. in Disp. Feud. 4. th. 5. lit. d. ibique Dn. D. Tabor in Notis MS. Magnif. Dn. D. Carpz. part. 2. Const. 45. def. 9. Dn. D. Ludvv. Synops. Feud. cap. 8. Dn. D. Struve in Syntagm. Iur. Feud. Exerc. 7. th. 8. ubi ad objectiones solidè respondet.*

XXXVI. Expolitum est, expectativam ad heredes transmitti; consequens est, ut videamus, an successores domini illam ratam habere teneantur? Possum facili negotio totam hanc controversiam pulchra quadam distinctione dirimere. Ejusmodi enim successores domino succedunt vel jure proprio; vel jure hereditario. De illis quid obtineat, docebit infra thesis 44. Hi verò expectativam ab antecessoribus suis concessam, omnino adimplere bent. *arg. F. 3. ubi verba: Si rationibus claruerint, eleganter explicat Dn. D. Tabor in tract. de obligat. success. in Offic. c. 5. n. 21. add. 1. F. 9. 2. F. 26. §. moribus. Conf. Schrader. de Feud. part. 3. cap. 6. n. 24. & seqq. Rosenthal. in Synops. Feud. cap. 6. concl. 15. n. 8. Giphani. Antinom. Iuris Feud. Disp. 4. th. 17. Qui enim jure hereditario succedunt defuncto ita succedunt, ut ab eo causam successionis habeant, ipsique in omne jus relictum succedunt, adeò, ut etiam factum & conventionem defuncti ratam habere teneantur. *arg. l. 24. ff. de V. S. l. 62. ff. de R. I. l. 15. C. de R. V. Et cur recusaret heres, quod retractare non potuit is, cujus hereditatem adiit. vid. l. 44. ff. ad Sc. Trebell. conf. supra th. 23. vid. Hartm. Pistor. part. 2. qu. 26. Schrad. de Feud. part. 3. cap. 2. n. 24. & seqq. Vultei. de Feud. lib. 1. c. 10. n. 16. Rosenthal. in Synops. Iur. Feud. cap. 6. concl. 15. n. 8. Giphanius in Antinomis**

nomis Iuris Feud. Disp. 4. th. 18. Berlich. part. 2. Const. 54. n. 21. & seqq. Magnif. Dn D. Carpz. part. 2. Const. 45. def. 5. Dn. D. Struv. in Syntag. Iur. Feud. Exerc. 7. th. 9. ubi simul docet, nostræ assertioni non ad- versari, an heredum facta sit mentio, nec ne. Et licet Dominus promittens dicat: Si mihi feudum aperiatur (vel wann sich das Lehn an vns erledigen wird) modò non expressa adjiciatur restri- ctio ad solam promittentis personam, h. m. Wann es bey meinem Leben erlediget wird. Quo casu manifestè apparet, quod sub con- ditione si, vel modo in vita ejus aperiatur, promissum sit, quâ de- ficiente, & ipsa dispositio deficiet. l. 213. ff. de V. S. l. 19. ff. de reb. credit.

XXXVII. Exposui hactenus, quæ Expectativam nostram constituent; restat, ut, juxta præscriptum ordinem, annectam, quomodo illa destruat ac dissolvatur. Nihil enim tam firmi- ter constitutum est, quod non aliquando dissolvatur. arg. l. 25. ff. de R. I. l. 80. ff. de solut. Dissolvitur verd illa: 1. Si certus casus sit ex- pressus v. gr. Si Vasallus possessor decesserit sine liberis: alio verò modo feudum revertatur ad dominum, idque vel propter felo- niam; vel quod ipsi refutetur. Hac enim ratione ex communi & in praxi recepta Dd. sententia, Dominus minimè obligatus est ad tradendum feudum, eò quod conditio specialis adjecta, in forma specifica adimpleri debeat. Non autem impletur in forma spe- cifica, feudo ex alia, quam mortis causa Domino aperto. Consul. Glossa ad c. 1. qui succed. ten. Matth. de Afflict. n. 5. in d. 2. F. 26. §. moribus. Schrader. part. 3. c. 2. n. 50. Hartm. Pistor. lib. 2. qu. 25. n. 37. Berlich. part. 2. conclus. 54. n. 66. Magnif. Dn. D. Carpz. in part. 2. Const. 25. def. 3. ubi extat præiudicium. Dn. D. Struve in Syntagm. Iur. Feud. Exerc. 7. th. 5. ubi cum præallegatis Doctoribus statuit, hanc sententiam valere, etiamsi postea Vasallus sine liberis decedat. An verò Vultej dissentientis in lib. 1. de feud. c. 7. n. 71. rationes hanc nostram assertionem infringere valeant, docebit forsan dis- cursus.

3. Contra-
ria.

XXXVIII. Præterea 2. huic promissioni obstat, quo mi- nus effectum habeat, si Vasallus quidem sine liberis moriatur, u- xore tamen relictâ prægnante. Quamvis enim conditio hîc im-
C
pleta



pleta videatur; attamen in jure nostro ita dispositum legitur, ut illi, qui in utero sunt, quotiens de eorum commodis quærat, pro jam natis habeantur. §. 1. *Inst. de exheredit. lib. 1. 7. & 26. ff. de stat. hom.* Quoniam itaque hoc in casu nemo potest esse certus, an nasciturus ex uxore illa prægnante, feudi capax sit, nec ne. Ideo optimâ ratione eò usque hoc omne differendum erit, donec fœmina pepererit. Deinde tempus mortis Vasalli & tempus partus ita conjungitur, ut perinde habeatur, ac si intermedium illud nunquam fuisset. Si igitur postea nascatur feudi capax, conditionem tempore mortis Vasalli defecisse dicitur; si nascatur feudi incapax, tunc conditio Vasalli mortis tempore extitisse intelligitur. *Conf. Herm. Vultej. de Feud. lib. 1. c. 7. n. 72. Berlich. part. 2. concl. 54. n. 47. Gothofred. Anton. in Disp. feud. 4. th. 5. lit. C.*

XXXIX. Destruitur 3. hæc expectativa, si possessor feudum conditionaliter promissum alienet. Tantum enim abest, ut ejusmodi expectativam impetrans, feudum à possessore alienatum, revocare queat, ut potius illa alienatio valeat, licet possessor, qui alienavit, postea sine heredibus decesserit. Videmus enim hinc conditionem, quæ, si absque alienatione fuisset, existere poterat, per alienationem esse interversam, ac non existere. *Confer. Matth. de Afflict. in tit. Qui succ. ten. n. 5. Hart. Pistor. lib. 2. qu. 28. Rosenthal. in Synops. Feud. cap. 6. concl. 9. Berlich. part. 2. concl. 54. n. 65. Dn. D. Struve in Syntagm. Jur. Feud. Exerc. 7. th. 7. ubi rectè tradit, Dominum, qui in alienationem feudi, cujus expectativam alter concessit, consensum suum interposuit, ad interesse præstandum esse obligatum.*

XL. Contrariatur 3. huic expectativæ in casum caducitatis promissæ, si Dominus feloniam commissam possessori Vasallo remittat. Nullus enim dubito, dominum feloniam gratiam posse facere. 2. *F. 31. vers. Nisi.* Dicat fortè quispiam: Quid autem si Dominus alicui Expectativam concessit h. m. Feudum, quod jam Sempronius possidet, tibi concedo, si ad me quocunque modo redierit, Sempronius verò committit feloniam, nonne Dominus remittendo feloniam hoc in casu illi, cui expectativa concessa, præjudicet? Respondebo, is, qui Expectativam impetravit aut
habet

habet jus quæsitum; aut non. Habet verò ille jus quæsitum, si Dominus actionem, quâ Vasallus feloniam arguitur; coram paribus curiæ instituerit, & causâ cognitâ sententia condemnatoria lata sit. Hoc in casu nec ego affirmare audeo, talem remissionem esse licitam. Quando verò ille nullum habet jus quæsitum, i. e. si actio à Domino non fuerit instituta, neque post causâ cognitionem sententia condemnatoria lata, tunc nihil obstare videtur, quo minus Dominus commissam feloniam Vasallo remittere possit, idque sine expectativam impetrantis præjudicio. Ut enim Vasallus ob feloniam commissam rectè feudo privetur, necesse est, præcedat causâ cognitio & sequatur sententia condemnatoria. 1. F. 21. *ibi: sine cognita culpa. c. 22. pr. ibi. Damnetur.* In libero autem Domini arbitrio est, an agere ac feloniam vindicare; an verò illam remittere velit. *Conf. Hunnius in tract. Feud. cap. 14. Dn. D. Struve in Syntagm. iur. feud. Exerc. 15. th. 11. & Exerc. 7. th. 7.*

XLII. Destruit 4. Expectativam feudi promissi interitus. *vid. Dn. D. Struve in Syntagm. iur. feud. Exerc. 15. th. 4.*

XLIII. Pugnat 5. cum Expectativa nostra feloniam sive culpa, quâ is, cui promissio facta, ingratum se gerit adversus Dominum, vel aliàs feudo se reddit indignum. *Conf. Schrad. de Feud. part. 3. Const. 2. n. 29. Berlich. part. 2. concl. 54. n. 38. Dn. D. Struve in Syntagm. iur. Feud. Exerc. 15. th. 8.*

XLIV. Denique 6. hanc Expectativam solvit Mors Domini promittentis. Idque dupliciter contingere potest: 1. Si Dominus, qui ejusmodi Expectativam alicui concessit, sine herede feudali decesserit, cuius feudum ac jura ad superiorem Dominum devolvuntur, qui illam ratam habere haud adstringitur. Devolvitur enim feudum hac ratione ad Dominum superiorem non jure successionis, sed per consolidationem. *Conf. Hartm. Pistor. in lib. 2. qu. 26. n. 21. & seqq. Schrader. de Feud. 3. cap. 2. n. 32. Magnif. Dn. D. Carpz. in part. 2. Const. 45. def. 8.* 2. Si Dominus habeat successorem, qui jure proprio succedit. *Conf. th. 36.* Dicitur autem jure proprio succedere, qui causam succedendi non habet ab eo, cui succedit; vel qui non succedit in jus ab Antecessore sibi relictum, sed aliunde illud acquirit. *vid. Herm. Vultej. de feud. lib. 1.*



c. 8. n. 25. Dn. D. Ludvv. in *Synops. Feud.* c. 8. Dn. D. Struve in *Syntagm. Jur. Feud. Exerc. 4. th. 12.*

XLV. Facile itaque ex dictis fluit, quod successor Prælati aut Episcopi non teneatur Expectativam in bonis Ecclesiæ adimplere. 1. F. 3. 25. 2. F. 26. §. *moribus.* & 35. Episcopus enim dicitur administrator, non Dominus rerum Ecclesiæ. c. 2. de *donat. cap. ult. caus. 12. qu. 1.* Et qui mortuo eo, succedit, causam non habet ab ipso, sed ab aliis, qui eum eligerunt. *vid. Rosenthal in Synops. Feud. cap. 6. concl. 16. n. 4. Hartm. Pistor. lib. 2. qu. 27. Fachin. 7. Controv. 29. Magnif. Dn. D. Carpz. part. 2. Const. 45. def. 7. Dn. D. Tabor in præalleg. tr. de Obligat. success. in offic. c. 6. n. 11. & in Notis MS. quibus in Collegio privato Danielis Ottonis Tract. de Iure publico explicavit. in cap. 8. Dn. D. Struve in Syntagm. Jur. Feud. Exerc. 7. th. 9. ubi plures adducit exceptiones, easque firmis rationibus confirmat.*

XLVI. Simili planè ratione successor secularis, qui scil. in regno, Ducatu, &c. sive per electionem; sive ex pacto succedit, expectativam ab antecessore suo concessam, servare non tenetur. Siquidem v. gr. Imperator imperium jure hereditario non consequitur, sed Electorum suffragiis ad Imperialem dignitatem evehitur. Observatis tamen certis casibus, quos Dd. hinc excipiunt, de quibus *Consul. Reinking. de Regimin. Secul. & Ecclesiast. lib. 1. Class. 3. cap. 10. n. 25. & seqq. & 31. Dn. D. Struve in Syntagm. Jur. Feud. Exerc. 7. th. 9.*

XLVII. Contrariatur 7. huic nostræ Expectativæ, quod, si laicus alicui feudum sub caducitatis conditione promiserit, & pendente conditione, omnia ejus bona publicata & ad fiscum devoluta sint, conditione existente, fiscus ad implendam ejusmodi promissionem non sit obstrictus. *vid. Hartm. Pistor. lib. 2. qu. 26. n. 22. Berlich. part. 2. concl. 54. n. 35.* Huic verò assertioni è diametro repugnare videtur, quod fiscus bona publicata capiens, creditoribus ad æris alieni solutionem efficaciter obligetur. *l. 11. l. 14. ff. de iure fisci.* Nulla autem pugna aderit, si dicam, illud verum esse in debitis liquidis & puris, seu ante publicationem purificatis, non in purificandis postea, i. est, iis, quorum conditio, seu dies incertus nondum venit, nec extitit, quoniam tum mutata est persona:



sona debitoris. per. l. 14. §. fin. ff. de Novat. Conf. Rosenthal. in Synops. Iur. Feud. cap. 6. concl. 16. n. 7. & Dd. ibi citati, quibus addatur Gothofred. Anton. in Diss. Feud. 4. th. 5. lit. b.

XLVIII. Pervenio ad AFFINIA, simulque ad finem. Ma^m Affine.
gnam verò cum Expectativa nostræ affinitatem habet, INVESTI-
TURA SIMULTANEA. Die Niebelehnsschafft die Gesampre Hand.
Quando nimirum quis investitur de eodem feudo cum alio, unus
quidem propriè; alter verò abusivè, cum hoc effectu, ut feudum
tum demum ad eum, qui abusivè investitus est, devolvatur, si in-
vestitus propriè, sine heredibus moriatur. Remitto ad Hartm.
Pistor. lib. 2. qu. 40. n. 55. & 64. Vultej. de Feud. lib. 1. c. 7. n. 73. Giphan.
in tract. Iur. Feud. cap. 10. n. 35. Reinking. de Regim. Secul. & Ecclesiast.
lib. 14. Clas. 4. c. 1. Magnif. Dn. D. Carpz. in part. 2. Const. 45. def. 14.
15. 16. 17. & 18. Dn. D. Ludvvel. in Synops. Iur. Feud. cap. 8. Dn. D.
Struve in Syntagm. Iur. Feud. Exerc. 7. th. 4. & 6.

XLIX. Ne autem longius, quam modus instituti & tem-
poris permittat, progrediar, hîc viâ, quam in thematis mei el-
aboratione ambulare volui, terminalia sunt. Habes itaque,
Benevole Lector, quæ de EXPECTATIVA proferre, & erudi-
tis offerre volui, valui. Brevitati studui & per hanc tuæ bene-
volentia. Utraque negligendâ fuisset, si plura, quæ huc face-
re viderentur, undecunque colligere debuisset. Ergò fave
hisce conatibus meis, acut benigni humanæ imbecillitatis, quæ
operibus hominum naturaliter inest l. 2. C. de Vet. Iur. enucleand.
æstimatores solent, veniam non denega, ac si à via aberravero,
me ad semitam non convitiis, sed humanitate revoca, me-

cumque ex solenni illa Beatorum Martyrum

formula age

DEO GRATIAS!

C 3

Sub-

*Subiicio autem uberioris συζητήσεως ergo
quadam Corollaria Miscellanea.*

- I. Non erit quæstio Domitiana, si quæram cum Ulpiano in l. 6. ff. de his, qui sui vel alieni jur. sunt : An puer unius anni, quem Maritus absens per decennium, reversus invenit domi, sit filius mariti?
- II. Constituitur Quasi - usufructus non solum ultimâ voluntate, sed & conventionem inter vivos.
- III. Non pugnat cum principiis Philosophicis, si dicam; Desinit quicquam esse, quod nec cœpit.
- IV. Mandatarius levissimam præstabit culpam.
- V. Venditor tradendi facultatem habens, præcisè tenetur ad rem venditam tradendam.



CARMINA GRATULATORIA

In

EXPECTATIVAM

Clarissimi ac Præcellentis Domini

Doctõrandi.

EXpectata dies venit, quâ EXPECTATIVAM
Suscipis in Cathedra non sine laude tuam;
Quid porrò expectas? Themidos num præmia forsan
Divæ, queis mystas condecorare solet?
Non erit illa, (mihi crede) EXPECTATIO frustra,
Ut verò faustè fiat, id omne precor!

Votivum hoc carmen gratulabundus apposuit

Fridericus Wimarus L. B.
von Heyden.

EXPE-

EXPECTATIVAM, dum pertractare laboras,
 (Dilecte toto ex pectore:)
 Præparat interea meritum Themis alma brabejum,
 Quo post labores recreet,
 Gratulor hinc, dignamque tuis virtutibus opto
 Sortem, benigno fidere!

*Hæc ex benevolentissimo affectu, Dn. Doctorando,
 amico integerrimo, gratulabundus
 scripsit*

Joh. Sigismundus Wilhelmus
 L. B. von Heyden.

Belli instar juris studium est, pugnaeque, laborque
 EXPECTANT omnes, Themidos qui castra sequuntur
 almæ. Pugnandum est, sequitur victoria pugnam,
 riteque vincenti gratissima præmia dantur.
 Ergo nunc pugna felix, fortissime miles
 dilecte Themidos, cum palma victor abibis,
 præmiaque ipsa dabit Themis hæcenus EXPECTATA.

*Votiva acclamationis ergo adiecit Dn. Doctorando
 amico ac commensali suo uni ex paucis
 plurimum dilecto*

Fridericus Wilhelmus
 L. B. von Heyden.

Optima sinceræ rara hæc Constantia mentis,
 Si quis sudorum variis non territus undis,
 Permaneat constans, cœpto persistat in omni,
 Donec perdulcem contingat tangere metam;

Hæc

Hæc tua norma fuit, fuit hæc tua regula vitæ;
 Hoc igitur votum toto de pectore duco,
 ut capias omne id, quod mens tua læta precatur,
 EXPECTATIVAM, duro quæ digna labore,
 quæque tuas curas largo compenset honore!

Exiguam hoc commensali suo dilecto apposuit

Hermannus Theodorus
 à Reck, D. I. H.

EXPECTATIVAM feudorum scribis Amice,
 Expectas Tibi nunc præmia digna dari.
 Gratulor has dotes Themidos, quas ponis ad aram,
 Et Tibi quæ Themis hinc magna brabeja dabit!
 Vive valeque diu Musisque Tuisque superstes,
 His jubeat votis pondus inesse Deus!

*Paucis hisce Amico suo certo, omniq; amoris cultu
 prosequendo, gratulabundus
 acclamat*

Iohannes Bueck, Rostoch.
 J. U. Candid.

Magno Parenti Filium Charissimum
 Sistes, colende Fautor, his conatibus,
 Dum non sefellit spes & EXPECTATIO
 Concepta de te: Gaudeo, congratulor,
 Precorque Jova adsit tuis successibus!
 Ascende Fama, nuncia Parentibus:
 Narra propinquis proprium domûs decus:
 Dic de futuro (quæso) fulcro Patriæ.

*Hecce Fautori ac Sympatriotæ suo colendo
 gratulabundus appof.*

Samuel Ernestus Götzius, Meinungâ-
 Hennebergicus, SS. Theolog. St.

Strassburg, Diss., 1659-60


ULB Halle 3
005 607 590



TA → OL

VD 77







12416

2.

I. N. D. N. I.
DISPUTATIO INAUGURALIS,
DE
EXPECTATIVA,

1659, 9.

Quam
PRÆSIDE,
DEO TER OPT. MAX.

Ex Decreto & Autoritate
Magnifici, Nobilissimi & Amplissimi Icto-
rum Ordinis, in Alma hac Argentoratensium
Univerſitate

Pro
Summis in utroque Jure honoribus ac Privilegiis
Doctoralibus, ritè, ac ſolemniter conſequendis, ſolenni
Eruditorum ac Benevolorum cenſuræ
ſubjicit

JOHANNES FRIDERICUS *Hanswacker*
Masfeldiâ - Hennebergicus.

In Auditorio Maiori.
Die Menſe
Loco horisque conſueſis.

OS (o) OS
ARGENTORATI,
Typis Hæred. SEBASTIAN-NICOLAI HETSTEDT,

ANNO:
DoMne ſerVa plos, In paCe Libera.

